

improsperum, ut exilio sit multandum aut per summam gratiam ciuitatis fieri debeat compos. De Lubecensi autem statuto non possum quin idem adfirmem, motus articulo 1. Tituli X. Libri I. et iis, quae de praxi SC. Velleiani Meuius ibidem et alibi testatur.

## §. VI.

Introductio  
per Ordina-  
tiones Im-  
perii et Re-  
cessus iure  
Romano ius  
Germani-  
cum haud  
xaro in exi-  
lium datum  
est. Id quod  
ius reprae-  
sentandi in  
successione  
collaterali-  
um praeter  
alia com-  
probatur.

Ast quid multa? ipsa iura Germanica nostra vniuersalia legum Romanarum passim sunt clarissima documenta. Aut sim, si plus mihi nunc eslet otii, confidere librum codicemue non minutum eorum, quae ex iure Romano vel Canonic Ordinationibus vniuersalibus Imperii praesertim Recessuum Corpori veluti arteriae intexta sunt. Annon Recessus Imperii anni 1512. ipsam testamenti introduxit factionem in Germaniam, rem maioribus nostris incognitam inusitatam que et puram putam Quiritum. Quaeso, quae non Romana in Recessu Nouissimo anni 1654. occurrunt? Taceo Ordinationem Cameralem, Ordinationem Criminalem Caroli V. et alias bene multis constitutiones ad vniuersam pertinentes Germaniam, at legibus exoticis refertissimas iisque passim superstratas. Adeo vt mente vix adsequi liceat, qui viris ingentibus meritis clarissimis videri ac pro certo persuasum esse potuerit, Germanos patriis non dedisse repudium legibus, dum iura peregrina adoptauerunt. Quamquam enim Germanica iura, quoad ea non inuasit et quasi e medio sustulit peregrini iuris violentia, et quoad ipse non usus eadem non abrogauit, mesito aestimationem sui auctoritatemque retinent, manifestum tamen est, mores non paucos maiorum ac patria instituta complura exteris in rempublicum legibus introductis euanuisse, eaque parte ipsum Germanici juris desiderium vanum esse et otiosum. Sane hoc insignem etiam ea